

*ricbus* (communiter est *Ansericus*, *Henseribus*) quasi *Heldreich* seu *dives beros* dictus est, vel etiam *divitie beroum*. Nota sunt plura Germanorum cum hâc voce composita nomina, inter quæ usitatissima, ferè sunt *Anselmus*, quasi *dicas*, *Galea herois*, & *Ansbrechtus*, i. e. *gloria herois*. Hæc Albinus.

Quando §. 20. noster Harsdorfferus dicit, Nonnullos existimare suffixum *er* in quamplurimis nominibus corruptum esse ex notæ significationis vocabulo *Herr*/idq; exemplo nominis *Werner* explicat, quod idem sit ac *belli Dominus*, unde pleriq; scriptitant *Wernherr*/ quasi *Wehrherr* à *guerrâ*, de quâ modò dictum, facilè adducor ut credam, namque & *Becmanus*, ubi agit (in voce *Ascenas*) de appellationibus nostræ gentis, inter cetera etiam affert, ex voce *Warre* (*guerra*) & *Mann* haut ineptè componi vocabulum *Warremann*/ quod *bellatorem* seu *militem* indicet. Quilibet videt convenientiam. Pergit *Becmanus*, origini nostræ velificaturus: Redde jam igitur antiquitati suæ vocabulum *Warre*/ & adjice vocem *Mann*/habebis *Gerremann*/quod antiquum illud atque verum genuinumq; est nomen, quo Galli ac Romani gentem nostram appellârunt, nihil aliud significans, quàm quod nunc patrio sermone dicitur ein *Kriegsmann*/ & nonnullis, agrestibus maximè hominibus, ein *Krieger*/ i. e. bellator seu miles. Hæc ille. Tu verò cogita, Philologe, annon vocula *Krieg* cum paullò allatis radicibus Ebraicis majorem habeat consonantiam? aut si exspatieris cum radice *קרב* *acbar*, quam *B. Lutherus* reddidit per *verwirren*/ *J. Regg. XII, v. 17. 18*. Juxta Harsdorfferi ergò opinionem *Iuter*/ *Luther* (*Lotharius*) *Leuther* est *Dominus populi & hominum*, *Gunther* *Dominus favens* quasi *Gunstherr*/ *günstiger*/ *qui favet*, quod & *Becmano* placet, qui ex *Aventino* addit *Gunthold*/ *favor & amor*. Latini dicerent *Favonium* & *Phavorinum*, cujus multa, eaq; honorifica, mentio in *Noctibus Atticis Agellianis*.

Commodè itaque sequitur §. 21. terminatio, quod vult *Quirinus Pegasus*, *hold* vel *old*/asperatione neglectâ (quamquam & pro

ve-